



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Poemata Ferdinandi Episcopi Monasteriensis Et Paderbornensis, S. R. I. Principis, Comitis Pymontani, Liberi Baronis De Furstenberg

Ferdinand <Paderborn, Bischof, II.>

Parisiis, 1684

Illustrissimo et Excellentissimo Viro Carolo Sancta-Mauraeo, Duci
Montauserio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-7748

ET PADERBORNENSIS POEMATA. 71
Hæc facile abscedet medicamine pulsa Britanno,
Sanabit cerebrum quæ medicina tuum?

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO VIRO
CAROLO SANCTA-MAURÆO,
DUCI MONTAUSERIO.

MARS tibi cum Musis lauros debere fatetur
Martis & Aonidum, CAROLE, grande
decus.

Tu patriæ, tibi quæ LUDOVICUM credit alendum,
Borboniæ debes spem columnenque domus;
Quem virtute parem magno formabis Achilli,
Rege licet fuerit Rex genitore minor.

CAROLUS SANCTA-MAURÆUS
DUX MONTAUSERIUS.

AD CELSISSIMUM
FERDINANDUM FURSTENBERGIUM
EPISCOPUM PADERBORNENSEM
ET COADJUTOREM MONASTERIENSEM,
S. R. I. PRINCIPEM.

DUM meritas memori meditor sub pectore
grates,
Et voco Pierias in mea vota Deas,
FERDINANDE negant viresque animosque: nec ipsæ
Carminibus referant carmina digna tuis.
Dum caneres cultos Capitoli in culmine Divos,
Indecores illæ deseruere Lyras.

72 FERDINANDI EPISCOPI MONASTER.
Angariæ invidit Latium, teque inclyta Roma
Audiit, & civem credidit esse suum.
Insonuere tuis Tarpeiæ cantibus arces,
Et Tyberis lætas plaudere iussit aquas.
Romuleusque, licet magnarum pondera rerum
Ferret Alexander, non grave sensit onus.
O si quis Superum priscos mihi fuscitet ignes,
Et reddat nostris laurea ferta comis!
Sed nec Apollineum meminit me Gallia vatem,
Nec mihi desuetam Musa ministrat opem.
At te frondenti præcinctum tempora lauro
Jam resonat totis Sequana littoribus.
Dum gravidum bellis seclum fremit undique, &
orbi
Vindictam læsi Numinis ira parat:
Tot strepitus inter durique minacia Martis
Classica, mansuetis artibus ipse vacas.
Seu priscos Superum ritus, arasque tueris
Qua surgens nitido Luppia fonte fluit:
Pacatosque regis populos, animasque sequaces
Exempli sancta relligione trahis.
Seu LODOVICUM armis, animisque opibusque
potentem,
Et pace & bello prospera regna canis.
Sive altam Luparæ votivo carmine molem
Laudas magnifici nobile Regis opus.
Credita seu nostris memorans sacra pignora curis
Augusti Pueri fata futura refers.

Vincat